De novis Prionus *(F.) formis e fauna palaearctica* (Coleoptera, Cerambycidae),

auctore Andreas Semenow-Tian-Shanskii.

Prionus zarudnii, sp. n.

Mesoprionus (sensu nostro 1900) (¹). ♂. *Pr. angustato* B. Jak. (imprimis genuino) haud dissimilis, sed *antennis* 2/3 longitudinis elytrorum vix superantibus, *articulis* 3°-10° *angulo apicali externo multo longius in processum acutissimum producto, etiam articulo* 11° *angulo apicali externo producto acuminatoque,* 12° *cum præcedente non connato, libero,* ejus longitudinem absque processu apicali superante; prothorace spinâ laterali intermediâ breviore et acutiore, magis extrorsum quam retrorsum directâ, haud incurvâ, angulis posticis et præsertim anticis acutius spinosis; pronoti disco crebrius punctato (semperne?); elytris crebre coriaceo-punctatis, subopacis, utroque costulis duabus dorsalibus manifestis signato; sterno ad latera sat longe piloso; *tarsis latioribus, minus depressis, articulo pænultimo* non solum in 4 anterioribus, sed etiam in posticis *lobis latiuscutis apice subrotundatis spinosisque* (fere ut in *Pr. asiatico* Fald.).

Long. ♂ 34,5, lat. 14,5 mm.

♀ nondum nota.

Bucharia montana : Chodzha-galton, non procul (circ. 40 km.) a Kulab (*N. Zarudnyj:* 14. VII. 1910). — Solum specimen ♂ in coll. *P. Semenov-Tian-Shanskii,* nunc in Museo Zool. Acad. Scient. Ross.

A *Pr.* (*Mesopriono*) *asiatico* Fald. differt imprimis antennis 12-articulatis, articulo 12° libero, longitudinem præcedentis absque ejus processu apicali excedente, hoc sat longo, acuminato; a *Pr. persico* L. Redt. cui præsertim proximus similisque, discrepat præcipue antennis ♂ gracilioribus, haud nodosis, valde compressis, articulis 3°-11° apice nullo modo corniculatis, processibus apicalibus magis porrectis et acutis, articulo 12° longiore, longitudinem 11¹ manifeste excedente, minus folioliformi, elytris fortius et copiosius, imprimis toto dimidio anteriore, coriaceo-punctatis, pronoto spinis lateralibus acutioribus et magis extrorsum directis (semperne?); a *Pr. besicano* Fairm. differt structurâ tarsorum, antennarum, elytris etsi fortiter, tamen minus confertim coriaceo-punctatis, multo minus opacis; a *Pr. lefebvrei* Mars., cui magis

(¹) A. Semenov, *Horae Soc. Ent. Ross.*, XXXIV, 1900, p. 327.

similis, differt tarsis imprimis posticis angustioribus, articulo 3° lobis spinosis, antennis gracilioribus, valde compressis, articulis 3°-11° angulo apicali externo longius et multo acutius producto, articulo ultimo longiore et angustiore.

Memoriæ amici mei, illustrissimi perscrutatoris faunæ turanicæ et iranicæ, Nicolai *Zarudnyi* grato animo hanc speciem dedico.

PRIONUS PERSICUS **compressicornis**, subsp. n.

♂. A *Pr.* (*Mesoprioni*) *persici* L. Redt. formâ genuinâ (e Farsistan : Shiraz et montanis confinibus Chusistani) differt solum antennis multo magis compressis, nullo modo nodosis, articulis 3°-11° fere non corniculatis, magis obliquis, apice externe longius productis, quibus processibus inter se paulo magis arte applicatis. Ceterum *Pr. persico* similis.

Long. ♂ 37, lat. 14,5 mm.

♀ ignota.

PERSIA OCCIDENTALIS : Luristan : Deh-i-Diz (exped. *N. Zarudnyi !* 23-25. XII. 1903). — Solum specimen (1 ♂) emortuum incompletum (coll. *P. Semenov-Tian-Shanskii*, nunc in Museo Zool. Acad. Sc. Ross.).

Prionus lesnei, sp. n.

Psilotarsus Motsch. (sensu nostro 1900). ♂. Mediocris, sat curtus et latus, validiusculus, totus niger, supra parum, subtus satis nitidus, glaber, sterno parce breviterque fulvescenti-griseo-pubescenti. Antennis dimidium elytrorum parum superantibus, 12-articulatis, sat gracilibus, valde compressis, haud nodosis, articulis 3°-11° apice nullo modo corniculatis, angulo apicali externo longe acuteque fere lamelliformiter producto, quibus processibus longitudinem ipsorum articulorum manifeste excedentibus serram acutam formantibus, articulis inde a 3° externe opacis, hoc (processu apicali excluso) scapo vix nisi sesqui longiore, 4° (sine processu apicali) tertio saltem sesqui breviore, longitudinem insequentis paulo superante, articulo 12° libero, anguste lamelliformi, longitudinem 11¹ superante, apice rotundato. Palpis articulo ultimo longitudinem præcedentis haud attingente, crassiusculo, apice recte truncato. Capite sat brevi, supra subtusque ommino fere glabro, fortiter crebreque etiam totâ fronte, in epistomate tantum laxe et subtilius punctato, fronte longitudinaliter profunde canaliformiter sulcatâ, temporibus sat brevibus, subparallelis, leviter postice tantum subrotundatis; genis infra modice deorsum productis, minus acuminatis; oculis minus evolutis haud convexis,

ad inserendas antennas profunde et late excisis, parte superiore angustâ, diametro transversali longitudine temporum saltem sesquis breviore, distantiâ oculorum in vertice scutello haud angustiore; inferiore parte capitis fortiter rugosâ; mandibulis sat brevibus, latiusculis, longitudinaliter valde convexis, lævibus, parce disperseque punctatis, externe longius ante apicem obtuse dentiformiter eminentibus. Pronoto spinis lateralibus exclusis capite sesqui, longitudine suâ duplo latiore, dentibus lateralibus bene evolutis, antico breviter lobuliformi, intermedio lato et valido acute spiniformiter terminato, nonnihil retrorsum incurvo, postico plus minusve late anguliformi; disco convexo, inæquali, glabro, fortiter crebre inæqualiterque punctato, quam ob rem parum nitido. Scutello lato, linguiformi, nitido, laxe punctato. Elytris latis et breviusculis, summâ pronoti latitudine spinis exclusis ad humeros sesqui latioribus, summâ latitudine suâ circiter 1,6 longioribus, lateribus ab humeris retrorsum sat fortiter recteque angustatis, apice latis, late singulatim rotundatis, angulo suturali perobtuso spinâ nullâ armato, dorso minus convexis, æquabiliter crebre, ad apicem confertim et fere coriaceo-punctatis, haud nitidis, nervis dorsalibus omnino fere obliteratis (semperne?); humeris eminentibus; epipleuris in quadrante apicali evanescentibus. Prosterno glabro. Meso- et metasterno nitidis, parce nec fortiter punctatis. Abdomine glabro, nitido, subtiliter disperseque subpunctato. Pedibus haud longis, fortiusculis, femoribus posticis sternitum abdominale 3um multo superantibus, tibiis sat latis, valde compressis, externe late obsoleteque subsulcatis; tarsis 4 anterioribus subdilatatis plantâ anticorum totâ, intermediorum majore ex parte tomentosâ, articulo 3° anticorum brevi, lobis angustis sed apice subrotundatis et spinâ brevi terminatis, intermediorum apice spinoso-productis; tarsis posticis angustis plantâ utrinque tomentosâ, articulo 3° lobis angustis apice spinoso-productis.

Long. ♂ 31,5, lat. 14,5 mm.

♀. Antennis verisimiliter 12-articulatis (in specimine nostro unico antennæ incompletæ sunt), quam in mare tenuioribus, articulo 3° longiore, longitudinem scapi circ. 1,3 excedente, angulo apicali externo hujus articuli non producto, 4^{i} breviter porrecto sed modice acuminato, 5^{i} et insequentium longius, etsi multo minus quam in ♂ producto et fortiter acuminato. Capite oculis minus adeo evolutis, in vertice latius inter se distantibus, distantiâ inter eos dimidio apicali scutelli manifeste latiore; mandibulis minoribus, minus evolutis, externe ante apicem non dentatis. Pronoto paulo magis transversali disco minus inæquali (semperne?), dentibus lateralibus similiter atque in ♂ formatis, sed antico et postico breviter lobiformibus plus minusve obtuse angulatis, inter-

medio lato et valde longe acuteque spiniformiter terminato. Coleopteris similiter configuratis sed a humeris retrorsum non angustatis, fere ut in *Pr. brachyptero* Gebl. ultima tergita abdominalia non obtegentibus, paulo nitidioribus. Sterno abdomineque omnino glabris, modice nitidis, metasterno cum episternis sat laxe subrugoso-punctato. Metasterno inter coxas posticas sat late distantes arcuatim exciso. Abdomine elongato processu intercoxali sterniti 1[1] sat late lobiformi vel potius linguiformi summo apice subacute angulato. Tarsis omnibus paulo angustioribus, tamen multo minus angustis quam in *Pr. brachyptero* Gebl., plantâ plus minusve pilosâ (non tomentosâ ut in ♂). Ceterum cum ♂ congruens.

Long. ♀ 41, lat. 17 mm.

Persia occidentalis : Chusistan : jug. mont. inter Susa et Ispahan (alt. inter 60 et 4.500 m. s. m.) (1 ♂); Pusht-i-kuh (in alt. 1.410 m. s. m.) (1 ♀) (*J. de Morgan:* 1904). — Duo specimina (1 ♂, 1 ♀) in Museo Historiæ Naturalis Parisiensi, quorum ♂ « *Prionus* sp., peut-être *Balassogloi* var. *brevis* Sem. », ♀ « *Prionus coriarius* L. » (sic !) a *M. Pic* anno 1905 in schedulis nominata sunt.

Species egregia, subgenus *Psilotarsus* Motsch. (sensu nostro 1900) cum *Mesoprionis* (B. Jak.) et *Lobarthro* (Sem.) copulans. *Pr. lesnei* ob abdominis ♀ tarsorumque structuram potius *Pr. brachyptero* Gebl., quam *Mesoprionis* appropinquat; a *Pr.* (*Lobarthro*) *balassogloi* B. Jak. antennis nullo modo corniculatis, articulis 3°-11° non appendicibus foliiformibus, sed processibus acutis simplicibus instructis, tarsis minus angustatis plantâ in ♂ magis tomentosâ, pronoti dente laterali intermedio multo magis evoluto, pronoti et elytrorum sculpture fortiore, etc. valde divergit.

Meritissimo coleopterologo gallico, Petro *Lesne,* emerito Musei Parisiensis curatori, grato animo speciem descriptam dedicavi.